

- 10 Seque regendo scholas iam passim magnificasset,
 Nobis est tandem nostroque loco revocatus¹
 Et tanquam nova lux abbas² est rite creatus³.
 Quod sibi non tantum collatum vidit⁴ honori,
 Quantum martyrio palmeque simul potiori.
- 15 Nam nichil invenit, nisi quod se mestificaret,
 Quod super amisso quem vidit honore gravaret.
 Diruta cernebat, quę primitus edificata⁵
 Et quę conspexit satis egregie decorata,
 Sublatum fratrum numerum, qui tam probitate
- 20 Personę clari fuerant, quam nobilitate.
 Nam dum contendunt abbates⁶ et monachorum
 Partes diverse, in tantum⁷ lis crevit eorum,
 Quod mutando locum plures alias abierunt,
 Et quidam penitus habitum quoque deseruerunt.
- 25 Quę super hos fusa contentio multa bonorum
 Sustulit ecclesię, stravit fastigia morum,
 Immo nichil reliqui fecit, matrem spoliando,
 Pro nutrimentis sibi dulcibus hec mala dando.
 Hec⁸ igitur graviter vexabant Theodericum,
- 30 Tam fratrum sane, quam religionis amicum,
 Martyriique loco vehementius hunc cruciabant,
 Quando suam mentem tot tantaque⁹ dampna gravabant.
 O quid meroris, quid pertulit inde laboris!
 Multum meroris, multum tulit inde laboris;
- 35 Virque tamen prudens causam sollerter agebat
 Dispersosque pie fratres revocare studebat;
 Exhortabatur hos vivere religiose,
 Ostendens vitę causas irreligiose,
 Scilicet hec dampna, dispendia tanta bonorum,
- 40 Plene restitui quę nemo videret eorum.
 Hęc pro posse tamen satis atnitens¹⁰ reparabat¹¹,
 Artificumque nullus operi¹² magis invigilabat.
 Vidi, quod crebro lapides ac ligna ferebat
 Et quasi conductus mercede quidem satagebat.
- 45 Et gratum visu fuerat caput hoc venerandum,
 Artificum quod opus operans dabat accelerandum;
 Canitie siquidem grata placide radiabat

1) Vgl. SS. X, 255 'eiusdem loci antea nutritus'. 2) 1099—1107.

3) Dieselbe Hand hat übergeschr. 'vel sacratus'. 4) Ebenso übergeschr. 'vel duxit'.

5) Zur Verwüstung des Klosters und den sonstigen Zuständen vgl. SS. X, 255 ff. 6) Vgl. SS. X, 257, 32: 'contentio inter se abbatum'.

7) 'in tantum' von derselben Hand übergeschr. statt 'tantum'.

8) 'Hic' Hs. 9) 'que' von ders. Hand übergeschr. 10) So Hs.

11) Zu seiner Sorge für den Bau der Kirche vgl. SS. X, 255. 256.

12) So Hs.; die Stellung 'operi nullus' würde ein richtiges Metrum ergeben.